



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

4. Quid agendum sit cum pueris venientibus ad Confessionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

ribus expectandum, qui gaudent quòd sic possint evadere.

Reprobanda est igitur talis praxis (si apud aliquos exerceatur) ne dum necessitas urgetur, Sacrilegium committatur.

ARTICULUS IV.

Quid agendum sit cum pueris venientibus ad confessionem?

MUltoties anguntur confessarii quid agere debeant cum pueris, in quibus invenitur sæpè parva capacitas, & tamen apparet obligatio saltem ad annuam confessionem; & quid si sæpius ultra obligationem veniant ad confitendum? Pro cuius resolutione, in primis certum est, quod quando capaces sunt ad peccandum mortaliter, præcepto annuæ confessionis obligentur. In c. enim *omnis utriusque* ex Lateran. Concil. sub Innoc. III. & in Trid. sess. 14. c. 5. Omnes Christi fideles postquam ad annos discretionis pervenerint, obligantur semel saltem in anno, proprio Sacerdoti confiteri, aut alteri ex ipsius permissione, aut S. Sedis privilegio. A quo præcepto nulla ætas excipitur eorum qui in peccatum mortale lapsi fuerint, nam ex hoc ipso satis apparet illos sufficienter rationis discretionē esse affecturos.

Hujus

DE PÆNITENTIA. 371

Hujus autem discretionis probatio spectat ad prudentiam Confessariorum, non solum ex ætate septem annorum, quando regulariter talis discretio inchoatur, & præsumitur adesse; sed multo magis ex ingenii & educationis qualitate, quia multi post eam ætatem, alii etiam antea, illam discretionem attingunt, ut non tantum venialiter, sed etiam mortaliter peccent, prout exemplum adfert S. Greg. lib. 4. Dial. c. 18. de puero quinquennali in blasphemis moriente ac damnato.

Postquam autem Confessarius consideratis circumstantiis reperit puerum verè & deliberate commississe peccatum mortale quod confitetur, ulterius examinare debet, utrum verè de illo doleat, non ex motivo verè humano videl. ex timore punitionis paternæ, sed supernaturali per fidem cognito, & utrum sufficienter cognoscat per Sacramentum Pœnitentiæ illud peccatum esse remittendum. Sunt enim passim aliqui adeò naturâ vagi, & malè educati, & instructi, ut licet satis dispositi sint ad mortaliter peccandum, non tamen ad verè dolendum, aut credendum virtutem hujus Sacramenti: nec tales sunt ut tam brevi tempore à Confessario ad debitam Pœnitentiam possint disponi. Et tibi est maxima Confessariorum anxietas, dum ab una parte necessitatem vident ut absolvantur, & ab alterâ parte incapacitatem veri doloris: sine quo absolutio Sacramentalis ipsis non potest prodesse.

Si

Si igitur videant quasi moraliter certò, quod non sint sufficientes pro habendo dolore requisito remittendi sunt sine absolutione cum admonitione, ut procurent ut aut in Catechismo, aut alio modo instruantur; aut si fieri possit sæpiùs redeant ut ab ipso Confessario instruantur. Si autem talia signa præbeant quibus occasionem præbent dubitandi, sub conditione sunt absolvendi, maximè in mortis articulo, quia in casu necessitatis in dubio inclinandum est in favorem animæ.

Si verò sæpius ad confessionem veniant sine peccatis mortalibus, non facile Sacramentalis absolutio, sed benedictio est danda: aut saltem non nisi sub conditione debitæ dispositionis, ne sine causâ fructu hujus Sacramenti frustrentur. In nulla autem re magis debent Catechistæ, aut alii instructores esse solliciti, quàm ut pueros instruant ad bene confitendum, & salutariter dolendum de peccatis, ne illius defectu æternaliter damnentur, & interea defectu gratiæ de uno peccato in alia incidant.

Caveant autem ne pueros perterrefaciant minis humanæ pœnæ, ne assuescant potius ex illius metu, quàm ex supernaturali motivo dolere.